



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Titulus XV. De commodato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

# TITULUS XV.

## De Commodato.

*Quest. 213. Commodatum quid sit, & quomodo ab aliis contractibus differat?*

**R** Esp. commodatum sic dictum, quasi accipientis comodo datum. *Gl. inc. unic. h. t. v. commodatum.* Pro ut sumitur *h. t.* non pro re, quæ accommodatur, sed pro concessione illius, definiri potest, quod sit concessio, vel magis specificè, contractus, quo res aliqua gratis datur ad certum usum & tempus determinatum, ut eo finito in specie eadem restituatur. Ita ferè ex comuni AA. sensu *Holt. in sum. h. t. n. 1. Less. de f. & f. l. 2. c. 27. n. 4. Haunold. Tom. 4. de f. & f. r. 10. n. 71 f. Wiestn. h. t. n. 1. Mull. ad Struv. in ff. h. t. th. 2. Lit. a.*

2. Dicitur primò: *contractus*, intellige, proprietatis in quo differt à precario, quod nisi similitudinem contractus habere dicitur. à *Muller l. c. Lit. β.* estque contractus juris gentium, nimirum inductus & permixtus jure gentium. *l. 7. §. 1. ff. de pactis imò & juris divini. Exod. 22. v. 14. Deuteron. 15. v. 8. Mat. 15. v. 42. Muller. l. c. Lit. α.* Item est contractus; quia certum nomen & formam habet, actionemque nomini convenientem producit. *Lauterb. ad ff. h. t. §. 3. & bonæ fidei l. 3. §. 2. ff. h. t. §. 28. Inst. de action. Muller l. c.* in quo differt à mutuo, quod est contractus stricti juris. *Muller l. c. Lit. β.* Item realis, utpote ad cuius perfectionem, & ut ex eo nascatur firma obligatio, spectat rei commodatae interventus, nimirum illius actualis traditio & acceptatio. *§. fin. Inst. quot. mod. re contrah. Muller l. c.* in quo differt à locatione, quæ solo consensu subsistit, adeoque neque traditionem, neque verba, neque literas requirit. *l. 1. & 14. ff. locati. Treutler. vol. 1. d. 29. th. 1. Lit. E. Muller. loc. cit.* Dicitur secundò: *quò res aliqua datur*: intellige, tam immobilis quam mobilis, tam corporea quam incorporea, ut supra dictum de precario; circa enim eas verari potest usus. Excipiuntur res, quæ ipsò usu absumuntur, ut vinum, frumentum, panis &c. quia consumptio mutat dominium, & per commodatum usus rei conceditur salvâ ejus substantia, utpote quæ eadem restituenda est *Pirh. Mull. LL. c.* Dixi: quæ usu statim absumuntur: non enim obstat commodato, quòd res usu atteratur, ut equus, vestimentum; quamvis, si res commodata facta deterior, detur actio contra commodatarium ad præstandum id, quod interest commodatoris juxta *l. sed mihi. ff. h. t.* sic itaque commodari possunt domus, stabulum. *l. 1. ff. h. t.* item jura & servitutes. *cit. l. §. 2. Pirh. h. t. num. 2. Mull. h. t. thes. 4. Lit. v. Wiestn. num. 6.* Item redditus anni, ut *Pirh. equi aliæque pecora* Quin & homines, non tantum mancipia. *l. 5. §. interdum. ff. h. t. sed & liberi famuli, qualiter etiam videmus Principes commodatò concedere suos musicos coquos aliosque ministros. Muller. cit. thes. 4. Lit. β.* ornamenta, vasa aliæque etiam sacra, non tamen ad usus profanos. *Azor. l. 7. c. 4. §. 3. Pirh. h. t. num. 2.* Item pecunia, quâ; v. g. commodatarius utatur ad oppignorationem, ut mutuo accipere possit aliquid, vel ad ostentationem, ut eâ ostentatâ, dives putetur. *l. sed mihi. §. ult. & l. seq. ff. h. t. Pirh. h. t. l. c. Muller. cit. th. 4. Lit. α.* citatis *Coraf. l. 4. miscell. c. 8. Bachov. vol. 1. d. 24. th. 1. Lit. g. Holt. in sum. h. t. &c.* Idem est de alia

re fungibili, seu cujus usus consistit in abusu, non quidem concessa ad verum ejus usum, sed tantum ad pompam & ostentationem dicis gratiâ, id est, ad usum simulatum sine voluntate abutendi. *Lauterb. h. t. § 7.* citatis *Wesensbec. & alius.* Potest quoque res aliena commodari quòd ad obligationem inter contrahentes constituendam (quod tamen domino non præjudicat, cum is superveniens rem suam vindicare possit. *Bachov. ad Treutl. vol. 1. d. 24. th. 1. Lit. c. Lauterb. l. c.*) à bonæ fidei possessore, non autem à malæ fidei possessore, utpote qui eam tenetur restituere domino. Quamvis in foro externo etiam fieri & prædoni, qui rem alienam accommodavit, detur actio commodati ad rem commodatam repetendam. *l. commodare. & l. seq. ff. h. t.* quia interest ejus rem commodatam recipere, ut eam domino suo exhibere valeat. *Azor. l. c. §. 2. Pirh. l. c. Muller. l. c. th. 5. Lit. α.* ubi fusè, an & qualiter res aliena in contractum venire possit. Dicitur tertio: *gratis datur*: cum enim commodatum sit beneficium, *l. 17. §. 3. ff. h. t.* merces in eo locum habere non potest. *§. 2. Inst. quo mod. re contrah. oblig.* in quo convenit cum precario & mutuo, differt à locatione, emphyteusi similibusque contractibus, ubi pro concessione seu usu rei certum pretium constituitur; quod si non est pecunia, sed quid aliud pro mercede detur, est contractus innoctatus, do ut des, vel facio ut facias. *Gloss. inc. unic. h. t. v. commodatum. Azor. p. 3. l. 7. c. 1. §. 2. Molin. de just. r. 2. d. 294. num. 2. Pirh. h. t. n. 1.* in fine non tamen huic contractui contrarium est, seu naturam ejus non destruit, si promittatur, vel citra promissionem solvatur honorarium aliquod, non tanquam merces seu in compensationem usus, sed in animi grati declarationem. *Lauterb. h. t. §. 12.* Fitque commodatum regulariter & ut plurimum recipientis gratiâ. Uti id in dubio præsumitur ut *Malc. de prob. vol. 1. conclus. 327. n. 1.* interdum tamen etiam tantum commodantis gratiâ. *l. 5. §. 10. ff. h. t. v. g. dum ultronee commodat e- quum, ut commodantem honoris gratia comite- tur commodatarius, vel ornatum sponsæ, ut ea honestius ad se deducatur. Lauterb. §. 20.* Dicitur quartò: *ad usum*, in quo differt imprimis à deposito & pignore, quibus si depositarius vel creditor utatur invito domino, furtum committit juxta *§. furtum autem. Inst. de oblig. quæ ex delict. nasc.* Differt etiam à mutuo per hoc, quòd hic usus sit purus, dum nimirum proprietate & dominio, quin & possessione civili & naturali quæ in mutuo, accipientem trans- feruntur remanentibus penes commodantem, solus usus transfertur. Et si fortè expressè agatur, ut commodatum contrahatur, & tamen in commodatarium ad tempus transferatur rei dominium, fieri commodatum irregulare, ait *Lauterb. §. 4.* citato *Mantic. de ambig. contract. l. 9. tit. 3. n. 10.* Et quia hic usus consistit in facto; v. g. quo commodatarius equitat in equo, legit in libro commodato, & non in fructu, differt non solum per hoc a mutuo, sed etiam ab usufructu, dum usufructuarius etiam frui- tur re. *l. 1. ff. de usus. & ab usu, qui quatenus ser- vitus est; consistit in jure. §. incorporales. Inst. de reb. corpor. & incorp. Muller, l. c. th. 6. Lit. α.* Dicitur quinto: *ad usum certum*, nimirum ad quem roga- tum, & qui à commodante præscriptus; v. g. equi

ad equitandum, & non ad arandum. *l. 17. §. 3. ff. h. t. quem usum si commodatarius excedat, & re utatur aliter, furtum committere dicitur l. sicut certo. §. quoniam. ff. h. t.* item dum commodans prohibuit ulteriorem usum, & tamen commodatarius re ulterius utatur, duplum pro hoc ulteriore usu repeti posse Arg. §. 6. *Inst. de oblig. quæ ex delict. ait Muller. l. c. rh. 6.* citato Strick. *in cit. §. in quo iterum differt à precario & mutuo, quod datur ad quemvis usum pro arbitrio recipientis, cum per illud transferatur dominium.* Dicitur sexto: *ad tempus determinatum*, nimirum vel expressè vel tacite, ut dum equus commodatur Colonia Viennam, liber ad transcribendum; cum tunc res commodata ad tantum tempus intelligatur, quantum prudentis arbitrio necessarium ad finem illum commodati consequendum, Molin. *tr. 2. de §. d. 294. num. 6.* Castrop. *tr. 32. d. 3. p. 2. num. 1.* Wiestn. *h. t. n. 3.* ut autem mora dici possit commissâ in restituendo commodato elapso tempore, interpellatio non est necessaria, quia dies, imò hora, pro homine interpellat. Muller. *rh. 6. Lit. β.* citans *l. 12. C. de contrab. stipul.* Dicitur septimo: *ut eo finito*, nempe usu & tempore, *restituatur*: & quidem, ubi tempus expressum eo finito res restituenda, licet commodatarius casu impeditus fuerit, quò minus interea re uti poterit, ne dominus diutius cogatur re sua carere, quam ipsi placuerit. Bart. *in l. 17. §. 3. ff. h. t. n. 6.* Barbol. *ad l. 2. C. h. t. n. 3. §. 4.* Medices *de cas. fortuit. p. 2. q. 10. n. 52.* & alii, quos citate & sequitur Lauterb. *h. t. §. 9.* Possè tamen datarium, ubi dolus abest, & credit ex causâ probabili id fieri domino non invito, re diutius & ad usum longiorem uti; v. g. equo ad iter longius, censent Menoch. *de arb. l. 2. Cas. 298.* & alii, & cum illis Lauterb. §. 10. Possè etiam eo finito rem accommodatam retineri (intellige, per modum pignoris) donec pro expensis in rei conservationem satisfactum (cujus contrarium est in deposito) docent Molin. *De §. d. tr. 2. d. 297. n. 11.* Perez. *in Cod. de commod. a. n. 18.* Castrop. *tr. 32. §. 3. p. 9. n. 7.* Haunold. *Tom. 4. de §. d. §. tr. 10. n. 739.* quos citat Wiestn. *h. t. n. 17.* Item Mull. *h. t. Lit. β.* Possè quoque retineri in compensationem alicujus debiti, absolute tenent Abb. *in c. fin. de depos. n. 12.* Sylv. *v. commodatum q. 3.* negat è contra Molin. *l. c. n. 10.* distinguunt Castrop. Perez. Haunold. *LL. cit.* ita ut compensationi locus non sit, si res commodata existeret & restitui possit; & de hoc procedit. *l. fin. h. t.* estque ratio, quòd compensationi propriè locus sit in fungibilibus seu consumptibilibus, *l. si constat. C. de compens. in iis autem commodatum propriè fieri nequit. l. 1. §. 1. ff. h. t.* etsi commodans rem suam cogeret relinquerè commodatario in debiti sui compensationem in effectu idem esset, ac si cogeret rem suam vendere contra *l. in vitium. C. de contrab. empt.* è contra locus sit dictæ compensationi, si res commodata periiisset, vel deteriorata, & ejus aut deteriorationis æstimatio seu pretium præstanda. Sed neque ante tempus & usum expletum revocari potest à domino. *l. in commodato. §. 3. ff. commodati.* in quo differt etiam à deposito, quòd restitui debet, quandoque liberit deponenti *l. 11. C. de deposit.* Ita ut pactum de tempore restitutionis adjectum nihil operetur uti supra dictum de precario. *l. 1. §. 46. de depos. Muller. l. c. rh. 2. Lit. β.* In casu vero inopinato, ubi commodator ipse egeret re commodata, posse illum etiam ante tempus & usum præfixum finitum revocare commodatum, docent Mol. *l. c. d. 294. a. n. 8.* De Lug. *de §. d. §. 32. f. 2. a. n. 10.* Bonac. *de contract. d. 3.*

*q. 15. n. 1.* Zoës. *in ff. h. t. num. 2.* Lauterb. *exercit. 25. concl. 13.* & alii apud Muller. *rh. 8. Lit. a.* item Wiestn. *h. t. n. 19.* citans *l. eff. l. 2. de §. q. c. 27.* Tacita siquidem & præsumpta mens commodantis hæc esse videtur, ut commodando rem suam gratis alteri, intendat ei afferre commodum, non tamen cum suo incommodo & damno, quòd incurreret, si ingruente tali casu egentiæ & necessitatis, non posset uti re sua. Dicastill. *de §. d. §. l. 2. tr. 7. d. 1. a. n. 5.* Quòd ipsum confirmatur ex eo, quòd potius permissum id commodanti rem suam gratis quam locatori pro pretio locanti ædes suas, cui ex casu non præviso non habenti ædes, quas incolat, ex ædibus locatis conductorem ante tempus expellere juxta *l. adem. ff. locati*, contrarium se habente in donatione, utpote quæ dominium transfert. Wiestn. *n. 20.* Quòd si verò eodem tempore eadem necessitate urgeretur commodatarius, quæ commodans ad utendum re comodata, quamvis videri posset præferendum commodantem, eique restituendam rem commodatam, quia est dominus illius, censet tamen Muller. *l. c.* non posse veteri vitio commendatario, si eam ad usum retineat; cum in communi periculo sit melior pars possidentis, tum quòd in extrema necessitate omnia sint communia. Dicitur denique: *res eadem in specie restituatur*: in quo convenit cum deposito; ita ut non sufficiat, sicut sufficit in mutuo, quia in eo transfertur dominium & veniunt res, etiam quæ usu absumuntur, restitui eandem in genere seu aliam similem, sed restituenda eadem numero seu in individuo, quæ commodata est. *l. mutuum ff. de reb. cred.* nec commodatum admittit compensationem, ut dictum. Ubi tamen res commodata commodatarii culpa perierit, vel planè inutilis facta commodanti solvere debet æstimationem rei, nec eidem invito rem similem obtrudere potest. Wiestn. *h. t. num. 9.* Muller. *rh. 7. Lit. v.* citata *l. 17. §. fin. §. l. 3. §. 1. h. t. junctal. 1. §. 1. de reb. cred.* Franzk. *h. t. Mevio ad jus Lubec. l. 3. tit. 3. a. 1. n. 16.* Teneri tamen commodantem rem deterioratam recipere, si commodatarius, paratus sit solvere pretium deteriorationis juxta *l. 3. §. 1. h. t.* ait Muller. *rh. 8. Lit. β.* citans Treutl. & Schneidev. nisi tamen res ita deteriorata, ut commodans eam amplius uti nequeat; tunc enim non teneri eam rem recipere, ait idem *l. c. Lit. v.* ubi etiam monet consultum esse, ab initio commodationis rei adiacere certam rei æstimationem, ne postea desuper in restitutione lis & trixæ oriantur. Qualiter verò dum res facta deterior, æstimatio fieri debeat, id relinquendum Judicis arbitrio juxta *l. 3. §. 2. h. t.* Si tamen absque culpa commodatarii res commodata facta deterior, aut etiam interit, non tenetur ad æstimationem rei, aut quanti interest commodantis, rem non esse redditam deteriorem. Muller. *l. c. Lit. d.* de quo infra pluribus. Duaren. *de commod. c. 47.* dum enim commodatarius ex voluntate commodantis usus re fuerit juxta præscriptum sibi ab eo modum & tempus, resque ex eo usu deteriorata, imputare sibi debet commodans, quòd ad talem usum vel tantum tempus, ex quo rem deteriorandam, vel etiam interitum sciverat; v. g. equum senem tam difficili longoque itinere imparem commodarit. Muller. *l. c.* juxta *l. 10. §. fin. ff. commodati.* De cætero debet non tantum res ipsa, sed unà cum accessionibus illius, si quæ fuerint; v. g. cum equa pullus, intellige, si tempore commodati natus; item cum aliis fructibus; sic enim actum censetur inter contrahentes, ut quòd ex re commodata natum est in eadem causâ, in qua res

com-

commodata, habeatur *l. quamvis. ff. de precariis.* Item domus cum suppellectili, fundus cum instrumentis, intellige, si is instructus commodatus; secus si suppellex aut instrumenta à commodatario comparata) Mull. *l. c. Lit. v. Arg. l. 13. ff. h. r. §. l. 38. §. 10.* Item restitui debet sumptibus commodatarii, Arg. *l. 5. §. 12. h. r. Bonacin. de contract. d. 1. q. 5. p. univ. n. 10. Mull. ib. 7.*

*Quest. 214. Quinam commodare possunt?*

**R**esp. commodare & commodatum recipere possunt omnes, quibus libera est de rebus suis disponendi facultas. Muller. *loc. cit. th. 3.* potest tamen idipsum Oeconomus, cui res Ecclesie administranda committitur. Host. *in sum. h. r. num. 4. Sylv. v. commodatum. q. 2. Pirh. h. r. num. 2. in fine.* non tamen Religiosus sine licentia sui superioris. Azor. *l. 7. c. 3. Pirh. l. c.*

*Quest. 215. Quænam ex commodato oriatur obligatio?*

**1. R**esp. primò in genere: commodatum ultro citroque, sive tam ex parte recipientis quam commodantis parit obligationem. *l. 17. §. 3. ff. h. r.* Ex huius quidem parte, quòd teneatur relinquere rem commodatam tamdiu, donec usus, ad quem, & tempus, ad quod commodata finita, sublimitationibus. *præced. quæst. adjunctis.* Tenetur item ad præstandos sumptus extraordinarios & graves necessarios ad rei conservationem; V. g. ad mancipium commodatum dum ægrotat vel fugit, magnis sumptibus quaerendum & curandum; ad rem raptam ab iniquo raptore lite recuperandam &c. De Lugo. *de f. & f. d. 32. f. 2. num. 24. & d. 8. f. 10. num. 134.* secus est de expensis ordinariis; v. g. in cibum equi, in victum & hospitium mancipii faciendi, hæ enim spectant ad commodatarium. de Lugo. *l. c.* Ex parte verò recipientis, duplex oriatur obligatio. Prior spectans ejusdem rei custodiam, altera illius restitutionem. Quod attinet ad primam, diligentiam exactissimam custodiendæ rei commodatæ præstare compellitur; nec sufficit eam diligentiam adhibere, quam suis rebus adhibet, si alius diligentius eas custodiret. ut habet *l. 1. §. 1.* is quoque *ff. h. r.* Ratio est, quia commodatum fit in solius commodatarii gratiam. Dum autem queritur, an teneatur facere vel permittere jacturam rei propriæ ad servandam rem commodatam; dicendum primò, non teneri res suas proprias pretiosiores exponere periculo, ut res commodatas minoris pretii salvet, modo ipse sit extra culpam. De Lugo. *l. c. d. 8. f. 2. num. 130. & 139. & 140.* Bonac. *de contract. d. 3. q. 1. p. 6. n. 22.* Hahn. *ad Wesenbec. h. r. n. 7.* Muller. *ad Seru. h. r. th. 8. Lit. 3.* non enim rem propriam pretiosiores commodatæ neglectâ, (dum utramque simul salvare nequit) eripiens naufragio vel incendio peccabit contra officium patrisfamilias diligentissimi; ut Muller ex Lauterb. *in Synop. tr. h. r. th. 5.* ac sic præponete res pretiosiores proprias minus pretiosis alienis non est contra maximam diligentiam, quæ opponitur contra culpam levissimâ. De Lugo. *l. c. n. 130.* citatis Syl. Armill. Gab. Ang. Vasq. ac dicens communem. Neque in hoc casu est ulla commodatario obligatio compensandi quicquam commodanti pro ejus re, quæ in periculo relicta, ut salvaretur res propria, perit de Lugo. *l. c. num. 140.* Mull. *l. c.* idque, etiam si commodatum fuerit in solius commodatarii utilitatem, ut de Lugo. *n. 139.* contrarium quò ad hoc postremum apud eundem *n. 131.* censente Molina, nimirum quòd quidem

preferri possint res propria pretiosiores, teneri tamen tunc commodatarium, si in ejus solius utilitatem factum, solvere rei commodata, quæ perit, valorem: secus, si cessit in solius comodantis, vel etiam utriusque utilitatem.

**2. R**esp. Secundo idem cum de Lugo dicendum, dum res propria sunt æquè pretiosæ ac commodatæ, contrarium iterum tenente Molin. Nimirum si commodatum factum in solius commodatarii utilitatem hunc teneri res alienas seu commodatas præferre; eò quòd cum æquali jactura teneatur rem commodatam servare; si verò cedat commodatum in utriusque vel solius comodantis utilitatem, neque teneri illum ad præferendas res commodatas, neque ad ullam earum restitutionem aut compensationem. Verùm contrarium quò ad utrumque bene probat de Lugo ex eo, quòd præferendo rem propriam, sive pretiosorem, sive æquè pretiosam rei accommodatæ; non minus utiliter gerat negotium comodantis, quam non præferendo, dum si prætulisset rem accommodatam, permittendo perire rem suam ad salvandam illam; posset à commodante exigere valorem rei suæ deperditæ tanquam sumptus extraordinarios impenso in conservationem rei comodantis; adeoque is parem jacturam pateretur, imò majorem, si res commodatarii pretiosior fuisset deperditæ ad salvandam rem vilioris comodantis cum solvere is deberet totum valorem rei deperditæ, qui excedit valorem rei servatæ. Ac proinde jam nihil interest comodantis, sive hoc modo, nimirum sub obligatione compensandi valorem rei propriae commodatarii deperditæ servetur res sua, sive ea non servetur.

**3. R**esp. Tertio neque teneri in conscientia commodatarium permittere perire rem suam vilioris ad salvandam rem commodatam pretiosorem, si jactura rei propriae vilioris notabile damnum esset allatura. Idque absque eo, quòd in illo casu teneretur quicquam restituere comodanti. Ita de Lugo *l. c. n. 136.* contra Molin. *cit. d. 296.* docentem teneri commodatarium servare potius rem pretiosorem comodantis, etiam dum ea commodata in solam commodatarii vel utriusque utilitatem, ita etiam, ut si res illa vilior commodata in solius commodatarii utilitatem, is pro jactura rei suæ nihil repetere aut sibi compensare possit. Eò quòd nihil faciat, ad quòd non teneatur vi contractus & beneficii accepti, utpote ratione cujus tenetur ad rei commodatæ diligentissimam custodiam. Si tamen res commodata in solius comodantis utilitatem: possit petere valorem rei suæ vilioris perditæ, & rem comodantis servatam tamdiu retinere, donec valor ille solvatur; eò quòd nemo teneatur cum jactura rei suæ alienam servare, quando contractus non est in solam sui utilitatem, & quòd ad sumptus extraordinarios necessarios in rei conservationem teneatur is, in cujus gratiam res tradita seu commodata vel deposita. Verùm videntur prævalere rationes, quas in contrarium assert de Lugo, nimirum quòd neque diligentia maxima, ad quam tenetur commodatarius, neque contractus commodati vel etiam depositi obliget ad rem alienam custodiendam cum magno detrimento proprio, cum nec in custodiendis rebus propriis prudentissimus quisque & diligentissimus id faciat. Item quòd permissio jacturæ rerum propriarum ad servandam rem alienam necessaria, sit sumptus extraordinarius, quem comodans compensare tenetur, & quæ nemo impendere tenetur in custodiam rei alienæ, nisi

nisi sciat sibi refundendum. Unde, si sciat dominum rei pretiosam illum nolle solvere, non sit huic injuria si rem ejus conservare nolis gravibus sumptibus suis. Quos tamen si scires dominum refursum, teneris rem ejus pretiosorem illis sumptibus impensis servare. Ac denique, quod durissimum esset, & ab omni æquitate alienum, si quis videat in incendio petire, vel omnia bona sua valentia tribus millibus aureorum, vel rem alienam commodatam vel apud se depositam, valentem decem millibus aureorum, teneretur ex Justitia hanc salvare, etiam si sciret certò, se in perpetua egestate vel magna miseria victurum absque eo, quod speraret se quicquam à divite illo commodante pro jactura rerum suarum recepturum. Unde nemo credet, quod etiam diligentissima aliàs impendenda custodia rerum alienarum obliget eum adeò detrimento gravi proprio; aut etiam commodatarius se unquam sic obligaverit; quod si tamen minùs grave foret, subeundum esset pro beneficio rei commodatæ. Unde licet rectè inferri videatur, quod, si res propria esset longè vilior quàm res accommodata, debere eam exponi jacturæ ad salvandam rem commodantis longè pretiosorem. Bene tamen addit de Lugo *l. c. num. 138.* non esse hanc obligationem custodia diligentissima mensurandam ex excessu rei alienæ supra propriam, sed ex detrimento, quod illa custodia rei pretiosioris afferret custodienti, intellige, etiam respectu personæ illius, dum aliquando jactura rei vilioris alicui minùs bene habenti ingens detrimentum asserre censetur. Dixi tamen etiam *in conscientia*: nam, ut de Lugo, *n. 135.* in foro externo commodatarius, qui rem commodatam reliquit perire, ut suam viliozem servaret, tenebitur ad restitutionem illius; tum quia præsumitur dolus, & quod utraq; servare potuerit, sicut suas servavit; ideoque cogitur ad totum valorem rei perditæ præstandum: tum quia, etsi constaret, non potuisse utraq; servare, tenebatur tamen rem domini utiliter gerere eamque servare, postmodum ab eo recepturus valorem rei propriæ; cum in foro externo non præsumatur, dominum hunc redditurum non esse; quia delictum alienum non præsumitur; adeoque exculationem non habet, cur, cum suo detrimento potuerit; non conservaverit rem alienam. Non tam obligabitur ad totum valorem rei pretiosæ, quæ periit, sed dempto valore suæ rei vilioris servatæ, utpote quem restituere debuisset dominus, si facta jacturâ illius res sua servata fuisset. Ita ferè de Lugo. Quod atinet obligationem alteram commodatarii, quæ concernit restitutionem rei commodatæ faciendam ejusdem rei in individuo, satis dictum *quest. præced.*

*Quæst. 216. An & qualiter commodatarius obligetur in casu fortuito?*

**R**esp. Dum casu merè fortuito (qui in quo differat à periculo, ejus quandoq; nomine in jure venit, & qualiter, qui per pactum in se recipit periculum non semper in se recipiat casum fortuitum, vide apud Lauterb. *ad ff. h. t. §. 45.*) v. g. fulmine, vi tempestatis, incendio, incurfu hostili &c. citra omnem commodatarii culpam perit aut deterioratur, is ad rei peremptæ æstimationem vel deteriorationis pretium præstandum domino de jure communi & regulariter non tenetur, pro ut clarè decisum. *c. unic. h. t. l. 1. §. 1. verò ff. de O & A.* Sed res perit & deterioratur domino. *l. pignus. ff. de pignor. act.* Idemque locum habet in similibus contractibus non translativis domini. *l. contractus. in fine. ff. de reg. jur.* cum enim tales casus sint extra

prudentialium ut, de Lugo. *de Just. & J. d. 2. §. 10. num. 132.* & à nullo pravideri & præcaveri possint, æquitas non patitur, ut à contrahente, qui dominus non est, præstentur. Et ita tenent cum communi Pirh. *h. t. num. 7.* de Lugo *l. c.* & apud illum Vasq. Molin. &c. Dixi tamen: *jure communi*: dum quandoque jure speciali est contrarium, uti Jure Bavarico commodatarium, in cujus solius gratiam res commodata, compelli posse ad transactionem de damno sine omni ejus culpa ex casu fortuito secuto Judicis arbitrio in eundam, testantur Wiest, *h. t. n. 11.* & citatus ab eo Haunold, *de J. & J. rr. 10. num. 729.* Dixi etiam: *regulariter*: nam *cit. c. unic. h. t.* expressè tres casus excipiuntur, in quibus commodatarius ex casu fortuito tenetur. Primus, si ab initio commodatarius periculum eventus fortuiti in se recepit seu in pactum deductum fuerit (pro ut deduci potest absque eo, quod contractus ille per hoc reddatur injustus. De Lugo. *l. c. n. 123.*) aut etiam tale pactum repugnet substantiæ talis contractus Pirh. *h. t. num. 10.*) ut commodatarius damnum ex casu fortuito secuturum præstet; cum contractus ex conventionem legem recipiant. *l. contractus ff. de reg. jur.* in quo tamen casu tenebitur commodatarius ad hoc non ex vi seu natura contractus, sed ex pacto adjecto. Azor. *l. 7. c. 7. q. 3.* Pirh. *l. c. eo* autem pacto comprehendi quoque casus insolitos, perique statuunt. Lauterb. *l. c. §. 46.* Mull. *l. c. th. 7.* citato Bachov, *vol. 1. d. 29. th. 16.* *Lit. h.* eò quod, qui casus fortuitos in se recipit, ille ipse, vi nominis admonente, vel maximè, de insolito cogitare, & de eo alterum securum reddere censetur Lauterb. *l. c. quamvis*, ut monet, præstet facere mentionem expressam casuum insolitorum, ne postea maneat ansa disputandi. Secundus, si culpa præcessit commodatarii, ex qua fortuitus casus, quo res periit, secutus; v. g. dum rem accomodatam ad alium usum, quàm de quo conventum, adhibuit; v. g. si vas argenteum ei commodatum ad convivium celebrandum intra urbem secum extulit ad convivium celebrandum extra urbem illud naufragio vel prædonum incurfu perdidit. *l. in rebus. §. ff. h. t.* Tertius si commodatarius post expletum usum & tempus præfinitum fuit in culpabili mora restituendi; cum mora sua sit cuilibet noxia. *reg. jur. 2. §. in 6.* ut autem mora sit culpabilis, interpellationem domini ad restituendam rem commodatam requirere videntur aliqui. Muller. *h. t. th. 7. Lit. i.* citans Gail. *l. 2. obs. 21. num. 3.* Ubi tamen mora non fuit culpabilis, quia justam causam habuit differendi solutionem, casum fortuitum præstare non tenetur, ut dum legitime impeditus fuit restituere debito tempore. Arg. *l. illud. ff. de hered. pet. l. utique. ff. de R. V. Pirh. num. 8.* Item dum rem detinuit, donec sibi à commodante solverentur expensæ factæ in conservationem rei. Item quia putavit, se rem non debere, ideoque in judicio contendit, ac interea res periit; cum, qui sine dolo ad judicium provocat non censetur moram facere. *reg. jur. 43. in ff.* adeoque etiam si post litem contestatam res periit, periit sine ejus culpa, non obstante, quod post litem contestationem omnes incipiant fieri possessores malæ fidei. *l. sed etsi. §. si ante. ff. de hered. pet.* cum non sint proprie tales, dum causam dubiam non statim actori cedere teneantur, si antea fuerint in possessione bonæ fidei, ut Pirh. *l. c. cit. Laym. l. 3. rr. 2. c. 4. n. 1.* aliam justam causam moræ, ob quam excusatur comodatarius à restitutione, hanc esse censet de Lugo. *l. c. n. 124.* quod bona

fide

fide existimet, domino seu commodanti non displicere illam moram; idque, etiam si re ipsa displiceret domino; quod posterius negat Malin. nisi commodatarius simul haberet animum restituendi domino damnum, si forte ei ista mora displiceret; quia nefas erat transgredi contractum nisi sub ista conditione; quod si dominus contentus non esset, vellet teneri illi ad interesse; in quo tamen illum arguit de Lugo incohærentia in loquendo taliter: eo quod, dum bona fide existimavit domino non displicere illam moram, in eo non peccavit, aut se peccare judicavit, & ideo absolute voluit illam moram absque illo animo aut conditione restituendi, & consequenter non potest teneri ad restituendum ex ea causa, quia nefas erat; cum bona illa fides potuit tollere illam malitiam, & consequenter per accidens excusare à restitutione; non tamen per se deobligatur ab ea; quia seclusa illa ignorantia invincibili, non debeat velle moram, nisi sub dicta conditione. De cætero casus ille tertius sic limitandus, ut morosus commodatarius ex mora sua etiam culpabili non teneatur ad restitutionem damni, si res æquè fuisset peritura aut deterioranda apud dominum, licet debito tempore ei restituta fuisset, quia tunc mora non fuisset causa illius damni. *L. si plures. ff. de positi. in sine. Lell. de just. l. 2. c. 7. n. 38. Navar. in man. c. 27. n. 80. Molin. de 7. & 7. ir. 2. d. 295. n. 4. Azor. l. 3. c. 7. q. 3. §. qua res. Pirh. b. t. n. 8. Sublimitatio, quam hic cum Gl. in reg. 25. jur. in 6. v. mora. addunt Zoëf. in ff. b. t. n. 15. Pirh. l. c. & alii: nisi dominus rem sibi restitutam fuisset distraheret, & sic non periisset apud illum, est contra suppositum, quo supponitur, rem æquè perituram apud dominum, & hinc nihil facit ad rem. Horum tamen contrarium est in fure, raptore, apud quem res perit sine ejus culpa; hic enim restituere tenetur, licet similiter apud dominum periisset. Arg. l. 1. §. rectissime. & l. penult. junctâ Gl. v. frustrata. ff. de vi.*

*Quæst. 217. Quid juris, dum res commodanda missa ad commodatarium, vel commodata restituenda remissa per nuncium pereat in via?*

1. Resp. primò & suppono tanquam extra dubium; Dum res commodanda, vel ratione alterius contractus, puta, precarii, mutui, comutationis (excepto fortè contractu emptionis de quo alibi) tradenda mittitur ad commodatarium aliumve, & perit in via, sive perfidia nuncii, sive alio casu fortuito, perit ea domino mittenti. Muller. *ad Stru. b. t. th. 8. Lit. n.* cum tales contractus sint reales, qui non perficiuntur nisi traditione. Pirh. n. 7.

2. Resp. secundò: Si commodator nuncium certum, nimirum à se specificatum in literis, talia signa ferentem misit cum mandato, ut res commodata (idem est de re alia ei debita) ei tradatur ad se deferenda vel ducenda, cujus incuria vel infidelitate res perit aut deterioratur, perit domino, & commodatarius aliusve debitor ad nihil tenetur. *L. cum qui rem. §. sed & ff. b. t. De Lugo de 7. & 7. d. 8. f. 10. n. 128.* dixi tamen: *cum mandato:* si enim misit nuncium solummodo, ut commodatarium (idem est de alio debitore) moneret ad remittendum commodatum, & is eidem rem committeret deferendam, quæ dein illius nuncii vel servi dolo vel culpa pereat, commodatarius tenebitur ad damnum resarciendum; quia non excusatur tunc à culpa saltem levi; quod ipsum licet absolute as-

*R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.*

serat de Lugo *loc. cit.* de eo tamen dubitare ait Vasquez sibi que id ipsum etiam probabile videri; eo quod communiter loquendo, si is, qui literas tales communitas defert, servus sit mittentis, eo ipso videatur à domino significari se esse contentum, quod eidem res tradatur deferenda; putant tamen alii, adhuc teneri commodatarium ad damnum, si is hominem non noverat, aut ejus fidem expertus non fuerat, etsi de cætero finitram de eo opinionem non haberet; eo quod sic culpam factam levem committeret; commodatarius autem, ut dicitur paulò post, teneatur ex culpa levissima; & ita tenent Arg. *l. argentum. ff. b. t. Bartol. ibid. in summar. Navar. in man. c. 27. n. 185. Azor. p. 3. l. 7. c. 8. De Lugo loc. cit. num. 127. Zoëf. ad ff. b. t. num. 13.* Secus est, seu ad nihil tenebitur in hoc casu commodatarius, si fidem talis hominis saepe expertus, aut etiam is communiter habitus pro fideli & idoneo ad similia, censent iidem AA.

3. Resp. tertio: Quod si commodatarius alium à nominato sibi à domino elegerit ad rem commodatam referendam domino, & ea ejus dolo aut culpa perierit, tenebitur commodatarius resarcire damnum; quia non caret culpa, & quidem lata, ut de Lugo *loc. cit.* quamvis, ut Idem Vasquez putet contrarium, nimirum non esse talem culpam, si alteri æquè fideli existimato eam tradat, nisi fortè conventum, ut nulli alteri traderetur.

4. Resp. quarto: Si conventum fuit à domino, ut ei res traderetur deferenda ad se, qui talia signa exhibuisset, & alius casu talia signa scivisset, eique res tradita ita fuisset, cujus culpa res periisset, commodatarius culpam vacabit, & consequenter ad nihil tenebitur domino, nisi ipse occasionem dedisset, ut alter ille in novitiam signorum illorum venerit. De Lugo *loc. cit.*

5. Resp. quinto: Si commodatarius de se elegit nuncium ad remittendam rem commodatam, tunc periculum est illius; adeoque si hominem malum postea aufugientem cum se deferenda, aut eam deteriorantem, ipse tenetur ad præstandum damnum domino juxta. *L. cum. §. sed etsi. ff. b. t. junctâ l. sequente. Muller. l. c. lit. b.* cum communi, siquidem mala electio est species culpa. *L. 10 & 11 ff. b. t.* Cujus etiam ratio est in contractu mutui similibusque contractibus, per quos dominium translatum fuerat; eo quod tunc in tali casu dominium adhuc non redierat ad mutuante, sed perseverabat apud mutuatarium interea, quod res mittebatur ad mutuante, vel alium creditorem (nisi fortè mitteretur per nuncium à creditore designatum; tunc enim censetur solutio eo ipso acceptata à creditore, quod res tali nuncio tradatur. De Lugo *l. c. n. 128.*) adeoque ipsi peribat. Lugo *ibid.* In aliis verò contractibus, seu etiam in genere loquendo, videndum est, ex quali culpa teneatur; ad damnum, qui rem alienam habebat, & restituere debebat, ut de Lugo *n. 127.* adeoque, cum in commodato teneatur etiam ex culpa levissima, videndum est, num talem admiserit in eligendo talem vel talem nuncium; qualem certo, si non graviorem, admisit commodatarius, si non exactissime inquisivit in fidelitatem, industriam & diligentiam talis nuncii. Atque ita opus non videtur illa distinctione: num vi contractus restituenda sit res eadem numero, an verò alia ejusdem valoris restitui possit. Si verò nulla in hac electione culpa imputari potest, sed is verè idoneus elegerit nuncium, qui in via per latrones spoliatus re illa, aut alio casu fortuito illam perdidit, damnum spectat ad

com-

commodantem. Costald. ad L. 10. ff. h. r. num. 19. Berlich. p. 5. concl. 58. num. 30. Medices. de casib. fortuit. p. 2. q. 10. num. 58. & alii, quos citat & sequitur Muller. l. c. li. n. estque ratio; quia is est & mansit rei dominus; ad dominum autem spectat damnum ortum ex casu fortuito, qualis est hic.

*Quest. 218. An & qualiter ex dolo & culpa teneatur commodatarius ad damnum, si res apud ipsum deterioretur vel pereat?*

1. **R**esp. Primò prænotando in ordine ad sequentia, culpam aliam esse theologicam, quæ idem est quod peccatum, sive mortale sive veniale. Aliam esse & dici civilem seu juridicam, quæ est ommissio alicujus diligentia adhiberi debita, ex qua sequatur alteri damnum vel incommodum aliquod. Differt ea à dolo (qui committitur vel mente tacendo, ad quod detegendum quis tenebatur. Vel verbo mentiendo, vel fraude, quæ in factis consistit, diciturque calliditas, fallacia & machinatio ad circumveniendum fallendumque alterum adhibita. L. 1. §. dolum. ff. de dolo.) quod culpa committitur ex negligentia, quæ prudente & diligente consilio & cura præcaveri potuisset, citra tamen intentionem nocendi, & quandoque ex inadvertentia. Unde etiam quandoque est homini involuntaria, & omni culpa theologica vacat. Ut, dum quis ex naturali oblivione librum sibi commodatum relinquit in loco publico, unde sequitur ejus amissio. Dolus verò ex formali intentione & proposito nocendi cu. L. 1. §. 2. Molin. d. 7. §. 7. r. 2. d. 295. num. 5. Dividitur culpa juridica trifariam in laram, levem & levissimam. Culpa lata crassa & infima est ommissio ejus diligentia & circumspeditionis, quam passim homines ejusdem conditionis, professionis & ætatis adhibere solent. Qualis est, dum liber commodatus relinquitur in publico, & ita amittitur, accedit ea proximè ad dolum. L. 29. ff. mandati, ideoque in contractibus (imo in delictis, non tamen omnibus) juris interpretatione dolo æquiparatur, & ad effectum juris doli appellatione comprehenditur. L. 220. ff. de V. S. L. 1. §. 5. de O & A. L. 32. ff. depositi &c. Culpa levis seu media est ommissio diligentia exacta, seu quam solent homines frangi, prudentes & diligentes ejusdem conditionis & professionis in rebus suis adhibere. L. 11. ff. de peric. & comm. rei vend. L. 10. ff. de administ. tutor. & hæc in jure regulariter vocabulo culpæ simpliciter posito denotatur. L. 5. §. 2. ff. h. r. L. 25. ff. de reg. jur. Nisi subiecta materia & leges aliæ aliud suadeant. §. 6. Inst. de susp. tutor. junct. a L. 7. §. 1. eod. Culpa levissima est ommissio diligentia exactissimi, seu quam solent adhibere non nisi diligentissimi & experientissimi ejusdem professionis, artis & ætatis. L. 18. ff. h. r. L. 1. §. 4. ff. de O & A. hæc autem diligentia interdum in jure nomine diligentia simpliciter posito venit per excellentiam. L. 5. §. 2. h. r. Lauterb. h. r. §. 36. uti etiam summa diligentia in jure dicitur exacta & positivus pro superlativo ponitur. Uti etiam superlativus non semper habet significationem extremi & supremi gradus. Lauterb. §. 37. Hujus culpæ levissimæ exemplum ponunt *ibid.* Lauterb. & Pith. h. r. num. 3. si quis librum commodatum reliquit in cubiculo clauso, sed non obserato, quia manu non tentavit, an esset inducta fera, quod tamen à Mol. l. c. d. 293. n. 4. sic limitari ait Pith. nisi fuerit expertus, quod

fera non facile inducatur, alias, non ad culpam levissimam, sed ad casum fortuitum revocandam rei amissionem. Circa quos tam culpæ quam diligentia gradus illud notandum, quod dum considerantur hic respectivè ad personas ejusdem conditionis & professionis, diligentia ad evitandam culpam levem vel levissimam non requiratur eadem in personis diversæ professionis. Sic enim, dum scholari alicui commodatur equus, non eadem in illo ad conservationem illius requiritur diligentia, quam summus equitator adhibet. Lauterbach. h. r. §. 38. quemadmodum etiam contingit in culpa theologica, dum quæ in sæculari reputatur & est levis, respectu Religiosi vel Episcopatione status sit gravis. Idque ob diversitatem obligationis horum statuum. Sic etiam respectu diversorum contractuum ob diversam, quam includunt, obligationem, unam altera strictiorem, rem alienam custodiendi vel conservandi diversa requiritur diligentia, & hac neglecta, diversa contrahitur culpa etiam juridica. Unde V. g. ob strictiorem titulum rem commodatam custodiendi, quem habet commodatarius præ depositario custodiendi rem depositam, negligentia, quæ in depositario parit culpam levem, in commodatario parit culpam gravem, etsi de cætero culpa materialiter & absolute spectata in utroque sit eadem. De Lugo. de f. & f. d. 8. §. 9. num. 112. Unde etiam, dum propter illam obligationum inæqualitatem, quæ in uno contractu est levis, in alio est gravis, provenit, ut culpa, quæ alias esset secundum se seu materialiter accepta levis, formaliter tamen seu respectivè in tali contractu, seclusa ignorantia vel inadvertentia inculpabili, seu dum advertitur ad majorem illam obligationem evadat culpa etiam theologice gravis & lethalis. Unde etiam vides, quomodo etiam quo ad formam conscientia deservire possit illa culpæ juridicæ divisio in laram, levem, levissimam. de Lugo. l. c. num. 114. & 115. quem vide id ipsum exemplificantem pluribus. His prænotatis,

2. Resp. Secundò: Dolus semper præstari debet, nec pacto excipi potest, ut quis ex dolo non teneatur. Quod in omnibus contractibus sibi locum vindicat. L. 27. §. 3. ff. de pactis reg. 23. ff. de reg. jur. Muller. ad Struv. h. r. li. 2. ubi li. n. quod dolum repræsentet culpa lata. L. 5. §. 10. ff. h. r.

3. Resp. Tertiò: Commodatarius, dum in illius solius gratiam res commodata: non tantum de dolo & culpa lata, sed etiam ex levissima culpæ commissa in conservatione illius tenetur ad reparandum damnum inde secutum, pro ut expressè dicitur tam Jure canonico. c. unic. h. r. quam civili. L. sint certo. §. nunc. videndum. L. in rebus. §. 1. ff. h. r. L. 1. §. 15. quoque ff. de alt. & oblig. quo enim majus est beneficium, eo magis cavendum, ne pro beneficio injuria vel damnum rependatur; æquitasque postulat, ut is, qui gratis alienis rebus in sui solius utilitatem utitur, summam diligentiam adhibeat, ne pereant aut deteriorentur, in qua æquitate citatæ leges & jura fundantur. Unde non obstat, quod in precario non nisi dolus & culpa lata præstetur juxta L. qualiter §. cum quoque ff. de precario. cum in hoc sit minus beneficium commodato, quod concedatur ad libitum concedentis revocabiliter. Uti etiam non obstat, quod in deposito quoque non præstetur, nisi dolus & culpa lata à depositario; quia depositum regulariter cedit, non in hujus, sed deponentis gratiam. Excipitur tamen specia-

ſpecialiter pupillus, qui, quantumvis in illius gratiam commodatum ſit (intellige, dum commodatum accepit ſine tutoris autoritate, ut Muller. *ad Stru. h. t. ib. 20. lit. β*) non tenetur tamen commodanti, niſi illius dolo vel culpa lata reſ perierit, aut deteriorata ſit, vel quatenus inde factus ditior. *L. 1. §. 2. L. ſed mihi. ff. h. t. L. 1. §. 15. depoſiti Caſtrop. d. 3. p. 6. num. 3.* De cætero procedit reſponſio juxta probabiliorẽ, non ſolum in foro externo, ſed etiam interno conſcientiæ, ut commodatarius ad damni, etiam ex leviſſima culpa orti reparationem ſub peccato obligetur ante omnem Judicis ſententiam, quamvis in damno dato nullum peccatum ſeu culpa theologica intervenerit, nimirum ob inculpabilem inadvententiam, ita tenent Molin. *tr. 2. d. 795. n. ult. Covar. in quart. decretal. c. 6. §. 8. num. 10. Azor. p. 3. L. 7. c. 7. q. 1. Leſſ. de juſt. L. 2. c. 7. du. 8. num. 40.* quos citat & ſequitur Pirh. *h. t. num. 4.* hæc addita ratione. Quod licet ſpectatõ jure naturali, nemo in rebus alienis obligetur de damno, niſi dolo vel culpa lata cauſato; cum hoc jure nemõ tenetur majorem adhibere diligentiam, quam homines ejusdem conditionis adhibere ſolent in rebus propriis, aut etiam iis, vel etiam fortẽ ipſo domino non tantam diligentiam adhibituro, eſſe diligentior aut circumſpectior. Poſita tamen legis civilis & canonicæ juſta & æquiſſima diſpoſitione, etiam ad leviſſimam culpam præſtandam obligetur; cum implicite ſe obliget recipiens dictum beneficium, ſeu commodatarius ad eam diligentiam præſtandam, quam leges requirunt; ideoque ſi eam non adhibeat, quamvis ex mera obligatione & inadvententia ſine peccato, damnum tamen illatum reſarcire teneatur in conſcientia & ſub peccato, & quidem, ſuppoſita illa legis diſpoſitione, ex juſticia commutativa; quia ex vero contractu; ita ferẽ Pirh. Qui nihilominus addit, contrariam quoque ſententiam in praxi eſſe probabilem; eo quod non ſolum in foro conſcientiæ, ſed & in foro externo uſu receptum videatur, ut reparatõ damni illati non ſemper aut plerumque niſi ob culpam latam, & non ob leviſſimam à contrahentibus peti ſolet; adeoque leges humanas non eſſe uſu receptas in eo rigore. ac ita tradit de Lugo, *tr. 1. de juſt. d. 8. §. 8. num. 110.*

4. Reſp. Quartõ: Si res commodata eſt in gratiam utriusque, tam commodantis quam commodatarii. V. g. dum commodata vaſa argentea ad excipiendum convivio amicis utriusque communem in domo commodatarii, commodatarius non tenetur niſi ex dolo & culpa lata & levi, non autem ex leviſſima, *L. in rebus, hæc ita. ff. h. t. junctã glos. v. æſtimatio. Pet. Barboſ. in Summar. ff. h. t. Pirh. h. t. num. 6.* Si verõ res commodata in gratiam ſolus commodantis, commodatarius tenetur ſolum ex culpa lata, non autem ex culpa levi, multoque minus ex leviſſima. *L. 5. §. 2. L. 10. §. 12. ff. h. t. gl. in c. unic. h. t. v. de leviſſima. Abb. ibid. num. 12. Molin. l. c. d. 295. Caſtrop. tr. 33. d. 3. p. 6. num. 3. Pirh. h. t. num. 5. Lauterb. §. 41. Muller. h. t. ib. 7. lit. 9.* eo quod, cum commodatarius non tam accipiat quam præſtet beneficium, non ſit conveniens, ut ad tam arctam cuſtodiam obligetur. Quod autem addit Muller, *l. c.* idem eſſe, ſi alicui non petenti obrudatur commodatum intelligendum, dum commodatarius nullam inde habet utilitatem.

5. Reſp. Quintõ: Commodantem quoque  
*R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III*

teneri quandoque ex culpa commodatario, ſiſ exinde aliquod detrimentum paſſus. Et quidem dum non in ſuigratiam commodavit, tenetur ſolum de dolo & culpa lata. V. g. dum commodavit equum, & non monuit de vitio. de Lugo, *l. c. num. 118. Lauterb. in ff. h. t. §. 39.* ubi: dominus in tali contractu, in quo nulla eſt utilitas illius, accipienti tantum de dolo tenetur, ita ut Judex hic paulõ remiſſius circa doli mali interpretationem verſari debeat. Si verõ etiam commodavit in gratiam ſui ſeu commodantis, teneri etiam ex culpa levi. de Lugo, *l. c.* Et hæc quidem dicta hæc & antecedentibus quaſt. de diverſa obligatione, & hinc orta diverſa culpa, quam pro diverſis caſibus parit contractus commodati ſecundum ſe ſpectatus, ſuppoſita legum diſpoſitione intelligenda. De cætero enim nihil vetat contrahentes inter ſe ita convenire, ut ubi alias culpa læviſſima præſtanda, non niſi dolo & culpa lata præſtetur. V. g. dum res commodata in ſolus commodatarii utilitatem; cum pacta dent legem contractibus. *L. 1. §. 6. ff. depoſiti. Muller. l. c.*

Quæſt. 219. Contractus commodati an  
& qualem actionem pariat?

Reſp. Oritur ex eo, ſeu vi illius intentari po-  
teſt, ſed non niſi poſt expletum uſum, in  
ordine ad quem res commodata, actio du-  
plex, una directã dicitur, altera contraria. Quæ  
quamvis diverſimodẽ deſcribantur ab AA. ut videre  
eſt apud Muller *l. c. lit. n.* communius tamen directã  
dicitur, quæ datur commodanti ejuſque hæredibus  
adverſus commodatarium ejuſque hæredem, ut  
rem commodatam eandem numero (quod idem  
ſignificant Jurisconſulti, dum dicunt eandem in  
ſpecie) reſtituat una cum accedentiis & fruictibus,  
ſalvam & integram in loco, in quo fuerat commo-  
data. Scacc. *de commerc. §. 11. gl. §. num. 196. Lau-  
terb. §. 16.* propriis commodatarii lumpſibus. Bo-  
nacini. *de conv. act. d. 1. p. unic. num. 10. §. 12. Lau-  
terb. l. c.* Vel ad reſarciendum damnum, ſi vel dolo  
vel culpa etiam leviſſima commodatarii interierit,  
aut facta deterior. *L. ſiſ, qui. §. L. in commodato. ff.  
h. t.* Eſtque hæc actio civilis. *L. 17. §. 3. ff. h. t. Lau-  
terb. ad ff. h. t. §. 14. Item bonæ fidei. §. 28. Inſt. de  
act. §. perpet. Lauterb. l. c.* Si res commodata plu-  
ribus & omnium fidem ſecutus ſit in ſolidum, con-  
tra ſingulos in ſolidum competit hæc actio; ita ta-  
men, ut unius præſtatione liberentur reliqui. Si  
tamen commodans pluribus communi periculo rem  
commodavit, nec ſingulorum fidem in ſolidum  
ſecutus ſit, ſingulitantum pro rata tenentur. Lau-  
terb. §. 15. citatis aliis. Quod dictum de hæredi-  
bus, adverſus plures datur pro rata & portione hæ-  
reditatis. *L. 3. §. 3. L. 21. §. 2. Lauterbach, §. 15.*  
Actio contraria dicitur, quæ viciffim competit  
commodatario ejuſque hæredibus adverſus com-  
modantem ejuſque hæredes ad exigendum, quod  
ſua intereſt. Idque ex variis cauſis. Primõ, ſi  
commodans non ſinat commodatarium uti re ad  
illum uſum & ad tempus, ad quem & quod com-  
modata, intempere & citra neceſſitatem, qua  
ipſe ea egeret, revocando ſeu eripiendo, tenetur  
ad damnum inde ſecutus commodatario reſar-  
ciendum. Eſt enim ab initio erat liberæ volunta-  
tis, non neceſſitatis, commodare, uti & modum ſi-  
nemque præſcribere licebat commodanti, poſt rem  
tamen commodatam ſuccedit neceſſitas illa ſeu  
obligatio



obligatio commodantis, usum illius rei non turbandi aut præcindendi. *L. in commodato. §. sicut. ff. h. t.* Secundò, si sciatur, quod ex circumstantiis colligendum aut probandum (secus, si insciter, quod in dubio præsumendum) commodavit rem vitiosam; tunc enim dolum (qui hic latam culpam comprehendit) & exinde ortum damnum commodatario præstare tenetur secundum dicta supra *L. in rebus. §. item qui. ff. h. t.* Tertiò datur hæc actio contra commodantem ad recuperandas impensas extraordinarias non leves, factas ex necessitate in conservationem rei commodatæ. Bonac.

*l. c. d. 3. q. 15. n. 4.* Joan. Garcias. *de expensis & melioratione. c. 3. num. 43.* Lauterbach. *h. t. §. 25.* citatis aliis: idem sentire visus de expensis utilibus, remittens ad *L. 25. ff. de pignor. act. & Franzk. h. t. num. 62. in fine.* Quartò, si commodatarius rem perdidit, & pro ea pretium restituit, & dein res commodata in potestatem commodantis venit, datur commodatario hæc actio, ut commodans aut rem ei præstet, aut pretium reddat, ita ut electio sit penes commodatorem tanquam debitorem. *L. 17. §. fin. & l. 2. ff. h. t. Franzk. h. t. num. 59. & 60. Zoës num. 18.* quos citat & sequitur Lauterbach. *l. c.*

## TITULUS XVI.

### De Deposito.

#### Quest. 200. Quid sit Depositum?

**R**esp. Depositem sumptum pro ipsa re deposita definitur *L. 1. ff. h. t.* quod custodiendum alicui dictum est. Sumptum propriè, pro ut de eo agitur *h. t.* pro ipsa depositione seu actu deponentis, strictius quidem definitur, quod sit contractus, quo res alteri datur custodienda. Zoës. *h. t. num. 1.* De Lugo, *de 7. & 7. d. 33. S. 1. num. 1.* explicatius verò definitur, quod sit contractus realis, quo aliquid alteri custodiendum gratis traditur, & ab eo recipitur in eadem specie ad libitum deponentis eidem restituendum. Dicitur primò; *contractus realis.* Lauterbach. *h. t. §. 1.* quia rei traditione & receptione, & non solo consensu perficitur. *§. prætere a Instit. quib. mod. re contrah. oblig. Pirh. h. t. num. 1.* de Lugo Lauterbach. *LL. cit.* & quidem nominatus & bonæ fidei, quamvis ratione rerum depositarum sit strictæ interpretationis Lauterbach. *l. c.* quo aliquid seu res; quænam autem res in particulari deponi possint, dicitur paulò post. Dicitur Secundò: *custodiendum*: intellige, purè, ita ut regulariter non detur ad usum; uti idem etiam contingit in pignore (à quo de cætero differt, quod pignus detur in securitatem debiti, depositum in custodiam) contractum verò in precario & commodato, de quo id empaulò post. Dicitur tertiò *gratis* seu sine mercede; si enim pro custodia merces detur, depositum transire videtur ad contractum locationis vel conductionis, dum depositarius accipiendo mercedem impensæ à se custodia censeretur locasse operas suas alteri. *L. 1. §. vestimenta. ff. h. t.* ubi summarium sic habet: depositum dicitur, cum nulla merces pro custodia datur, alias dicitur locatio. Quin etiam, ubi solum quid fuerit tanquam merces pro custodia, posse repeti per conditionem ob turpem causam, ait ex Brunnem, *ad L. fin. ff. h. t.* Lauterbach. *§. 15.* Muller, *h. t. ib. 36. lit. π.* De cætero non obstat contractui depositi, sicut dictum de contractu commodati, datum fuisse vel promissum depositario honorarium; illud siquidem contractibus gratuitis non contrariatur; cum sit voluntaria operarum gratis præstatarum remuneratio; dum è contra merces datur ad estimationem & compensationem operarum præstatarum. Lauterbach. *l. c.* citato Manric, Muller, *l. c.* citans alios. Dicitur quartò: *traditur*: intellige purè sine ulla datione seu translatione domini aut etiam possessionis. Siquidem; non tantum dominium, sed & possessio; tam naturalis quam civi-

lis remanet apud deponentem, & is pergit possidere per depositarium, & hic nomine deponentis. *L. 17. §. 1. ff. h. t. juncta, L. generaliter. ff. de acquir. possess. & sic effert à mutuo, de Lugo. l. c. num. 3.* Pirh. *l. c.* Lauterbach. *h. t. §. 7. & 16.* Ac ita contingit, dum res simpliciter traditur, non tantum obligata, sed etiam numerata & mensurata, non ut depositarius possit ea uti, sed ut sciat, quantum recipit, & de quo reddere debeat rationem. Dum verò res numerata traditur una cum facultate utendi eà cum obligatione reddendi tantundem, dominium adhuc & possessio manet penes deponentem, donec depositarius facultate sibi concessa utatur; tunc enim transit in mutuum, quo ad eam tamen solum partem, quam consumit, & dum demum dominium transit in depositarium ex tunc cum obligatione reddendi tantundem quando ita volente deponente datur depositum numeratum. Verum tunc fit mutuum fere purum, nisi quod mutuum non possit statim repeti, uti adhuc potest tale depositum, ita ferè de Lugo. Dicitur Sextò: *Recipitur*: nimirum à depositario in custodiam & curam, seu cum voluntate & obligatione custodiendi rem sibi traditam, habendique illius curam. Sicut enim non sufficit ad hunc depositi contractum rem aliquam alteri tradi, aut in ejus domo, illo etiam vidente, deponi, nisi simul declaretur verbis aut factis, id fieri & dicto sine; ita etiam non sufficit alterum utunque rem accipere, sed requiritur, ut animo obligandi se ad rei custodiam recipiat. Quem animum etiam habere censetur, dum videns ac sciens rem ea intentione in ædes suas inferri, seu apud se deponi non contradicit, cujus tamen contrarium sentire videtur Muller. *h. t. ib. 36. lit. β.* dum ait: et si quis expressè dixerit alteri, se penes ipsum certas res deponere, & recipiens non contradicat, tamen depositum non intelligatur celebratum, neque is, penes quem relinquuntur, de custodia tenetur; cum ex tali reticentia ad consensum inferre hoc casu non liceat, ubi agitur, ut quis personaliter obligetur, & ne damnum fortè incurrat; quin potius tacens contradicenti tunc æquiparatur. Atque ita traditione & receptione non nisi mutuo hoc consensu veluti informata contrahitur depositum, seu perficitur contractus depositi juxta *§. 3. Instit. quib. mod. re contrah. obligat. juncta L. 9. §. 3. ff. de jur. dot. & ita tenent. Molin. de 7. & 7. d. 522. num. 1.* de Lugo. *loc. cit. num. 1.* Muller *loc. cit. lit. β.* Lauterbach, *h. t. §. 7.* citatis Bachovio. Mozz. & aliis